

Novae Divisionis (si forte ipsae Partes, occasione Divisionis, alio modo expressim non accordassent) pertineat;

§. 5. Et per consequens; via et Processu Rectificationis, non aliud; quam ad errorum, si qui occasione Divisionis, praeter mentem ac suppositum dividentium, quoad alias particulas contigissent (puta: si pratorum, agrorum, vinearum, fundorumque quantitas, aut qualitas; vel Subditorum numerus et id genus alia Divisionem erronee ingrederentur) emendationem; eamque, Substantia Divisionis omnino in suo esse relicta; vel ad redintegrationem eorum, quae post Divisionem per alios Judicialiter, aut etiam temporum injuria sunt avulsa (non obstante accorda) quoad errorem procedi possit.

§. 6. Talis attamen Rectificatio, sive in Divisione per expressum reservetur, sive non; parti eandem prosequi volenti, infra tempus praedeclaratae Praescriptionis, semel admitti debeat.

De Prohibita.

A r t i c u l u s 38.

Prohibitae, in favorem Causantium, ut quippe vel absentes, interea accurrant; vel etiam praesentes respirum summant, per Legem introductae; ac juxta Articulum 65. An. 1681. ad duas reductae; deinceps etiam eo modo suum cursum habiturae sunt;

§. 1. Ut in Causis, praecise coram Regia Curia, nec non respectu Regnum Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae Tabula Banali vertentibus; omnino duas (respectu tamen decursus integrae Causae collective, non autem singuli Termimi, computando) et quidem prima absque; secunda cum onere Sex Florenorum, in una Tertialitate Parti adversae, caeterum autem Judici cedente; admittantur.

§. 2. Usus tamen earundem; semper ante ultimos sex dies Judiciorum, observandus veniet.

§. 3. Appellationi autem (Praxi jam usu recepta) absque omni Prohibita remedio, simpliciter cedi per Appellantem valeat;

§. 4. Vel, si ante ultimum Causae Terminum, in Causam attracto, per Judicem forte absoluto, a parte Actoris appelletur; ac in Foro Superrevisorio in Causam attractum succumbere contingat; eidem eorum ad remedium Repulsionis, si vellet, recurrendum esset: Ac per consequens; moderno jam usu, in Appellatis, Prohibitarum necessitas, aut locus, non amplius esset.

§. 5. Caeterum; praeter praedeclaratas duas Prohibitae, etiam beneficium Articuli 32. An. 1723. respectu eorum, qui legaliter impediti, non pro ipsa prima die praefixi Termini, verum postea tantum, intra subsequos quindecim dies comparerent; ad Causas quoque Curiae Regiae, ac respectu dictorum Regnum Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae, Tabulae Banalis, extendetur; ac praeterea Tabulis Districtualibus et in praememoratis Regnis Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae, eorundem Tabulae Judiciariae (neutquam tamen aliis Foris) competit.

§. 6. In quibus quidem Districtualibus ac Judiciaria Tabulis, modalitate in eodem Articulo 32. An. 1723. praescripta; in Curia vero Regia et Tabula Banali, taliter observabitur: Ut si tales, absentiae Suae legitimam rationem as-